Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1951

Quelle:
Copyright:

ſtro praeter paucos ad *Portam Coeli* Canonicarum S. Aug. olim Templo, unumque ad D. *Stephani*.

DCCCVIII.

U. 196 Codex chartaceus praecedenti per omnia geminus, Folior. 337. eſt *Pars Secunda* eodem modo inſcripta, ſed Sermones in varia Divorum Feſta, de Sacramentis et aliis quibusdam Materiis complexa, ut Index praefixus docet. Nihil in Sermonibus his omnibus ſingulare, nihil tamen etiam abſonum. Latine conceptos, germanice prolatos fuiſſe, verba aliquando marginibus adjecta docent. Ita *fol.* 113. ubi Textus habet: *de grandiori et ſolido cibo*, foris legas: *mit ſtarkh vnd feſter ſpeis*. De Autore nil compertum habeo, niſi, quod *Collatio facta Wienne pro Imperatore Sigiſmundo*, *fol.* 194. ita ſubſcribatur: *Hec collatio facta eſt wienne in eccleſia ſancti Auguſtini per quendam cappellanum ac confeſſorem Illuſtris domine Elizabeth duciſſe Auſtrie Marchioniſſeque Morauie ac predicti domini Imperatoris filie inclite* (Heroinae illius ante diem *Alberti* II. Imp. Viduae) *ſub Anno domini 1433. In die Sancte Marie Magdalene, preſente ibi multitudine cleri et laicalis populi.* Nam, ut ait Orator, qui toto ſermone officia Principis et ſpes Reip. in eo repoſitas bene exponit, *hodie cum ſolempni proceſſione et ſanctorum reliquijs ad hunc devotiſſime peruenimus locum.* Meminit etiam *Sigiſmundi nouiter in hoc anno, ſcilicet in ſolempni die penthecoſtes a ſanctiſſimo patre noſtro papa Eugenio imperialiter* (Romae) *coronati*, et confidit, *quod ipſe auxiliante deo purgaturus ſit aream militantis eccleſie a palea hereticorum huſſiticorum, et plurium aliorum malorum.* Voluntas ſane non defuit.

DCCCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 213 Folior. 446. 4. non una manu conſcriptus, et quondam, ut dorſum teſtatur, M. *Johannis Hymmel Styri* ex oppido *Weiz*, Th. Prof. canonici ad D. *Stephanum*, ter Academiae inter an. 1425—41. Rectoris, et *Alberti* Ducis cum *Nicodemo Scaligero* Ep. *Friſingano* ad Concilium *Baſileenſe* Oratoris, ut aliquanto pluribus docet *Pars I. Scriptt. Univerſit. Vien.* p. 126. plurima hujus Viri induſtria congeſta ſervat, quae percenſebo. *Fol.* 3. *Sermo de purificatione b. Virginis.* In illud: *Legem impleuit, ad Rom.* 13. Init: *Reuerendi patres &c. Solempnitatis hodierne preconia* &c. Sermones hic occurrentes habitos fuiſſe ad Academicos, ſemel monuiſſe ſuffecerit.

Fol. 10. p. 2. *Johannis Turndel* Can. et Vicarii *Nicodemi* Ep. *Friſingenſis* Transſumtum adlatae a *Petro* Can. regulari in *Vnderſtarf Bullae Concilii Baſileenſ.* qua Executoribus Indulgentiarum *pro orientalis eccleſie et grecorum felici reductione* conceſſarum facultas a ſimoniaca pravitate abſol-